

BUCHANAN (George)

EPIGRAMMATA (1418 vers)

Ce texte a été établi à partir de deux éditions de l'oeuvre poétique de Buchanan : celle publiée à Amsterdam en 1641 chez Johannes Iansonium et celle, hollandaise également, parue chez Arnoldus Langerak, en 1725. (N.B. la structuration un peu bizarre de certains passages, dans la seconde moitié du texte, a été imposée par la logique rigide de notre logiciel de scansion assistée.)

EPIGRAMMATUM LIBRI

EPIGRAMMATUM LIBER I

IN AULUM

E1_1 v.1 Mnam mihi promissam jubeo numerare Calenum ;
 2 abnuit ille : Aulum consulo causidicum.
 3 Is mihi iudicio suadet contendere : causam
 4 suscipit, hac quicquam justius esse negat.
 5 Quam mihi dum peragit decimumque extendit in annum,
 6 paene decem decies jam periere minae.
 7 Ne lis quod superest exhauriat aeris et aevi,
 8 vito reum pariter causidicumque meum.
 9 Certum est nul posthac promittentive Caleno,
 10 hortanti aut Aulo credere. Causa, vale.
 11 Quaeris utrum fugiam magis ? Aulum. Namque Calenus
 12 verba dare, ast Ausus vendere verba solet.

AD JOANNEM BELLAIUM CARDINALEM.

E1_2 v.1 Cum scelus admissis orbem popularet habenis,
 2 et premeret dirum sub pede jura nefas ;
 3 impietas nullo volvente elementa magistro
 4 credebat numen nomen inane Dei.
 5 At tibi, Bellai, pastoria credita cura
 6 absolvit, si fas dicere vera Jovem.
 7 Esse putant homines caelo mortalia curae,
 8 quod curae videant credita sacra tuae.

AD CAROLUM MARILLACUM VIENNAE ALLOBROGUM EPISCOPUM.

E1_3 v.1 Rebus in angustis tibi, Carole, cultus amice,

2 atque tuus merito tempus in omne cliens
3 tam tibi successum fortunae gaudet amicae,
4 quam tu inopem quondam commiseratus eras.

IN POSTHUMUM.

E1_4 v.1 Nescio an inspexi Narcissi, Posthume, fontem ;
 2 hoc scio, deliras, Posthume, amore tui.
 3 Ille tamen merito : nam quod malesanus amabat
 4 ante quidem id multis causa furoris erat.
 5 At tua non paulo est major vesania, qui te,
 6 sed sine rivali, Posthume, solus ames.

DE CODRO ET CAESARE.

E1_5 v.1 Pro patria in strictos codrus ruit impiger enses ;
 2 in patriam flammam Caesar et arma tulit.
 3 Ille suo patrias firmavit sanguine leges :
 4 at patriae peperit sanguine Caesar opes.
 5 Nemo tamen regum jactat se nomine Codri :
 6 Caesareum nemo non sibi nomen avet.
 7 Quae ratio ? In promptu est, nam qui nunc sceptrata tumentur,
 8 illius oderunt, illius acta probant.

AD AMICUM DIFFICILEM.

E1_6 v.1 Odisti Selium : teneris mihi semper ab annis
 2 carus, et illaesa perstitit ille fide.
 3 Hic mihi tu Pyladen, et inanem mentis Orestem,
 4 et Samiae jactas pectora fida scholae ;
 5 meque vocas ficti fucatum nomen amici,
 6 quod nec amemus idem, nec fugiamus idem.
 7 Ergo tibi jus etsi nostros odisse sodales,
 8 nec mihi fas hostem fiet amare tuum ?
 9 Scilicet haud aequa jamdudum lege coimus,
 10 nec ferimus parili condicione jugum :
 11 cum per me tibi sint vel iniqui frena doloris
 12 libera, tu noster vis famuletur amor.
 13 Nil igitur, dices, veteri tribuetur amico ?
 14 Do ; sed amicitiae jure reposco vicem.
 15 Odero, si jubeas, Selium tibi scilicet hostem,
 16 si, mihi tu Selium, quod sit amicus, ames.

IN PINUM PRO FORIBUS SCHOLARUM CALEND. MAII ERECTAM.

E1_7 v.1 Laurus erat Phoebus, nunc est sacra pinea silva :
 2 ambiguo geminum certat honore nemus.
 3 Montibus in celsis silvarum gloria pinus ;
 4 irriguas laurus gloria propter aquas.
 5 Utraque perpetua est semper formosa juventa,
 6 et numquam positus suscipienda comis.
 7 Haec formosus erat puer, haec formosa puella :

8 haec succo, haec sacrae frondis odore placet.
 9 Si conferre juvat fructus, victoria certa est,
 10 laurus enim baccas, carmina pinus habet.

IN EANDEM.

E1_8 v.1 Credite carminibus deductas montibus ornos,
 2 credite Threiciam saxa secuta chelyn.
 3 Res nova priscorum superat miracula vatum :
 4 carminis illa comes silva erat, ista parens.

IN CODRUM.

E1_9 v.1 Ultimus Actaea Codrus regnavit in aula :
 2 rex Italo primus Caesar in orbe fuit.
 3 Nempe imitatores invenit dira tyrannis :
 4 aemulus in patriam rarus amoris erat.

E GRAECO.

E1_10 v.1 Ebibat undosum castris Germania Rhenum,
 2 Deucalioneis aequor abundet aquis ;
 3 non tamen aeternae divina potentia Romae
 4 incolumi nobis Caesare fracta cadet.
 5 Sic Jovis aerae quercus radicibus haerent,
 6 cum Borea frondes discutiente cadant.

AD MARGARITAM VALESIAM NAVARRAE REGINAM.

E1_11 v.1 Si qua fides famae, super aurea sidera Juno
 2 magnanimo pariter cum Jove sceptrum tenet,
 3 ingenio pollet Cyllenius, arte Minerva,
 4 eloquio Peitho est grata, decora Venus.
 5 Jura Themis praebet, vigilant ad plectra Camenae,
 6 temperat hic terras, temperat alter aquas.
 7 Omnia non ausa est uni tribuisse vetustas,
 8 omnibus esse parem nec rata posse Jovem.
 9 At tu cum regni molimina tanta gubernes,
 10 et cedant formae tempora prisca tuae,
 11 carmine contendis Musis, atque arte Minervae,
 12 eloquio dubium est, ingenioque prior ;
 13 quaeque tuis paret tellus latissima sceptris,
 14 formidat fasces, justitiamque colit.
 15 Jure igitur praestas homines, quando omnia praestas,
 16 singula quae magni vix potuere Dei.

IN ZOILUM.

E1_12 v.1 Frustra ego te laudo, frustra me, Zoile, laedis :
 2 nemo mihi credit, Zoile, nemo tibi.

AD AMICUM QUEMDAM.

E1_13 v.1 Ad cenam sese dixit tuus affore vates.
2 Dixit ; sed vates dicere falsa solent.

AD LUDOVICUM REGIUM.

E1_14 v.1 Quum tibi Pieridum large sint dona, nec ulli
2 sit datus Aoniae purior haustus aquae,
3 tu tamen altrices vincis pietate Camenas,
4 quas inopes opera consilioque foves.
5 Regia de cunctis res est bene velle mereri,
6 et genus erga hominum, qua licet, esse pium.
7 Regia res sane ; sed plus quam regia res est
8 officiiis hominem vincere posse Deas.

AD LEONORAM.

E1_15 v.1 Ecquid sis formosa rogas, Leonora frequenter,
2 nec nisi jurato vis adhibere fidem.
3 Sic mihi numquam Helene, sic numquam Leda sit uxor,
4 ut nec par Helene, nec tibi Leda fuit.
5 Di simul heroesque has, sed patienter, amarunt :
6 verum quisquis amat te, Leonora furit.

AD EANDEM.

E1_16 v.1 Quum bene texisti sexcentis Gorgona vultus
2 fraudibus, artifici saepe relictas manu,
3 pulchra tibi, speculoque tuo, Leonora videris ;
4 me speculo textem, si libet, adde, licet.
5 Sed qua pulchra quidem facta es ratione, Megaeram
6 formosam fieri sic ego posse tuo.

IN EANDEM.

E1_17 v.1 Omnia quod, Leonora, putant te vendere, falsum est :
2 nam faciem, tibi quae cetera vendit, emis.

IN BELEAGONEM.

E1_18 v.1 Gens duplex, Beleago, tuo de stemmate certat,
2 nititur et causam quaeque probare suam.
3 Nulla tuis dictis quod sit constantia, Maurus
4 indicium Libyci sanguinis esse putat.
5 Signa sui generis credit Judaeus acumen,
6 quodque tibi est lucri tam furiosus amor.
7 Te Lusitano genitum te sanguine jactas ;
8 nec tamen hoc aliter, te nisi teste, probas.
9 O utinam indiciiis, aliove id teste, probares,
10 aut te certa foret testificante fides !
11 Sed mihi si credas, testis potes esse tibi isti
12 utilis, hac una sed ratione potes :

13 quae tibi pro fictis vis credi, ficta negato ;
 14 et quae vera cupis credi, ea vera nega.

IN CONVENTUM EPISCOPORUM.

E1_19 v.1 Cum mihi linigerae species est visa cohortis,
 2 majus et humano frontis honore decus,
 3 anxia mens dubiis pulsabat pectora curis,
 4 secum agitant homines crederet, ane Deos.
 5 Sermo, oculi, vultus, gestus cultusque, animusque,
 6 omnia divini plena stuporis erant.
 7 Is nitor in vultu, gestu decor, ore venustas,
 8 vis oculi, verbis gratia, mente vigor.
 9 Dum loca, dum comitem, dum membra simillima nostris
 10 adspicio, rursus mens negat esse Deos.
 11 Dum negat, affirmat, dubitat mens anxia, Phoebus
 12 perplexo involvit talia verba sono :
 13 "Dissimiles similesque vides hominique Deoque :
 14 non Di, non homines sunt, et utrumque vides.
 15 Qui pote ? Divina : nempe hoc te dicere velle
 16 auguror, esse homines corpore, mente Deos.

IN AMICUM QUENDAM.

E1_20 v.1 Unus eras, memini, quondam de plebe ; nec alter
 2 te minus in tota turgidus urbe fuit.
 3 Nunc te alium credis, veteremque haud noscis amicum,
 4 splendidus in Tyria quod spatiere toga.
 5 Falleris : hanc et ovis, qua tu nunc veste superbis,
 6 ante tulit, nec adhuc est aliud, nisi ovis.

E GRAECO.

E1_21 v.1 Nuper Achaemenidae fuimus, nunc arva Menippi,
 2 ac dominis erimus praeda subinde novis.
 3 Hic sua nunc credit, quondam sua credidit ille :
 4 at sua sors vere dicere sola potest.

IN LEONORAM.

E1_22 v.1 Mentitur veros facies tibi ficta colores,
 2 et speculi mendax te tibi imago refert ;
 3 in digiti annellus mentitur aeneus aurum,
 4 mentitur gemmam vitrea gemma probam.
 5 Quicquid contigerit te cum mendacia discat,
 6 miremur linguam dicere falsa tuam ?

IN EANDEM.

E1_23 v.1 Lena parens, Leonora, tibi est, et filia lena est,
 2 lena est quae faciem viscida creta tegit,
 3 et quod habet vetulas vicinia sunt tibi lenae,

4 et lena est toto fiscina nota foro.
 5 Quam bene vix tandem tot possunt vendere lenae,
 6 haud equidem mercem suspicor esse bonam.

IN MIDAM.

E1_24 v.1 Sors tibi nominibus nocuit male grata duobus,
 2 quod dederit sophiae stultitiaeque parum.
 3 Si tibi stultitiae plus esset, stultus haberi
 4 posses ; si sophiae plus foret, esse sophos.
 5 At tu "morosophon" sapiens es morio, stultus
 6 et sapiens, et nec morio, nec sapiens.
 7 Nunc tamen ut Curius praesentia saecula damnas,
 8 nunc stolidam fingis garrulitate jocos :
 9 at sophiam simulans per longas proderis aures ;
 10 dissimulans sophiam, dissimulare nequis.
 11 Unde igitur vives nulla, Mida, praeditus arte,
 12 si tibi nec stulto, nec licet esse sopho ?

IN NAEVOLUM.

E1_25 v.1 Naevole, dum clamas, ut Stentora vincere possis,
 2 "Omnis homo est animal" nocte dieque boans,
 3 jam tibi dilapsa est prope nonagesima messis,
 4 jam tremit invalido curva senecta fradu,
 5 vertice jam laevi vix tres haesere capilli,
 6 et cernis quantum noctua mane videt ;
 7 semper et e gelido distillat stiria naso,
 8 et fluit in madidos longa saliva sinus ;
 9 nec tibi gingiva dens unus et alter inermi est,
 10 nec plus rugarum simia scalpit anus :
 11 jam capulum spectas, jam Ditis limina pulsas,
 12 exspectatque tuas jam Libitine faces.
 13 Naevole, si pudor est, nugarum desine tandem,
 14 "omnis homo" clamans, Naevole, nullus homo es.

AD NEAERAM.

E1_26 v.1 Qualiter ad solem foliis morientibus arent
 2 candida virginea lilia secta manu :
 3 paulatim lento sic maceror igne, Neaera,
 4 ut primum radii me tetigere tui.
 5 At mihi dum roseis tractim das oscula labris,
 6 sentit et attractus debilis umbra tuos,
 7 mens redit, et vigor ignescit, velut herba resurgit,
 8 cum levis arentem recreat imber humum.
 9 Ergo quando oculis pereuntem me oscula sanant,
 10 et mea in arbitrio vitaeque morsque tuo est :
 11 perde, neca, ut visum est ; sed dum pereor, oscula junge :
 12 "Saepe ut sic vivam, sic volo saepe mori."

AD EANDEM.

E1_27 v.1 Ne fugitivum animum nostrum ad te perde, Neaera,
 2 seu domino dura es, sive benigna suo.
 3 Si mihi dura manes, fugitivum at suspice nostrum :
 4 si facilis mihi sis, hunc facilis quoque ama.

IN LEONORAM.

E1_28 v.1 Picta tibi est facies, mendax est lingua, manuque
 2 aeneus annellus, vitrea gemma nitet.
 3 Quis tibi vel verum credet, Leonora, loquenti,
 4 quando tui numquam pars caret ulla dolo ?

IN EANDEM.

E1_29 v.1 Putris odor spurco stomachi qui manat in antro,
 2 ne laedat, laurum, cum, Leonora, voras,
 3 amnigena ignigenae facis ut jungatur Iaccho,
 4 et numquam sicco sobria Nympha deo.
 5 Quaeque suum vivens servavit morte pudorem,
 6 mortua nunc per te damna pudoris habet ;
 7 nec potuit, quamvis contectis cortice membris,
 8 a lenocinio tuta manere tuo.
 9 Quid tibi non credam de te, Leonora, licere,
 10 tam male cui consors conciliatur amor ?

E GRAECO RUF.

E1_30 v.1 Qui te videt beatus est,
 2 beatior qui te audiet,
 3 qui basiat semideus est,
 4 qui te potitur est deus.

DE NEAERA.

E1_31 v.1 Illa mihi semper praesenti dura Neaera,
 2 me, quoties absum, semper abesse dolet.
 3 Non desiderio nostri, non maeret amore,
 4 sed se non nostro posse dolore frui.

AD PONTICUM.

E1_32 v.1 Arida torreret tibi cum praecordia febris,
 2 Pontice, nec vitae spes foret ulla tuae ;
 3 munera spondebas, caelumque in vota fatigans
 4 fundebas miseras ore tremente preces.
 5 Audit vota Deus, febrim tibi pellit, et assem
 6 oblatum facilis pro nebulone capit.
 7 Ac tu ideo sanctus vis et diis carus haberi,
 8 teque virum credi scilicet esse pium.
 9 Vir bonus esse potes, cujus caput asse redemptum est,

10 iudicioque tuo ; iudicioque Dei ?

PRAEPOSTERA PIETAS.

E1_33 v.1 Cum patre nil vivo tibi conveniebat : iniquis
 2 litibus exstincti dissidiisque senem.
 3 Defunctum nunc ture colis, tumulumque coronas
 4 floribus, et magna mole sepulchra locas.
 5 Qualibet his tumeas, pietas praepostera certe est
 6 in patre nil praeter funus amare patris.

E GRAECO

E1_34 v.1 Nemo meas cumulet violis fragrantibus umbras,
 2 nec mihi Pyramidum mole sepulchra locet.
 3 Si quis amat, vivo largum se praestet amico,
 4 talibus officiis dum locus esse potest.
 5 Verum ubi consumptos Lachesis mihi finiet annos,
 6 vel fracta incultis horreat urna rubis.

IN PHYLLIDEM.

E1_35 v.1 Phylli, omnes deamas, redamat te, Phylli, nec ullus :
 2 miraris fieri id qua ratione queat.
 3 Nempe ideo cunctos quod ames discrimine nullo,
 4 haec ratio est cur te nullus amator amet.
 5 Odero vis igitur cunctos ? Male colligis isthuc,
 6 nec te odisse velim ; sed nec amare veto.
 7 Quidnam igitur suades ut amer ? Sic suadeo : "Nullum
 8 oderis ; ast unum, Phylli, ut ameris, ama.

E GRAECO PHILODEMI, LIB. SEPTIMO.

E1_36 v.1 Dives eras, et amator eras ; nunc pauper, amore
 2 es liber, praesens o medicina fames.
 3 Quae te delicias dulcemque vacabat Adonim,
 4 Menophile, nomen nunc rogat illa tuum,
 5 Qui genus ? Unde domo ? Jam te docet usus, opinor,
 6 quod cui res de2_rit, nullus amicus erit.

E GRAECO POSIDIPPI, SEU CRATETIS.

E1_37 v.1 Quod vitae ingrediaris iter ? Si rura labore,
 2 si domus est curis anxia, lite forum,
 3 si mare sollicitat terror, metus urget habentem
 4 rem peregre ; ast inopem cura molesta coquit.
 5 Sollicitudo toris genialibus adstat : es expers
 6 conjugis, id saevae est degere more ferae,
 7 proli aerumna comes, quasi manca est orba senecta,
 8 robore canities, mente juvena caret.
 9 Primum ergo optandum est non nasci, proxima vota
 10 aerumnas fato praeveniente mori.

CONTRARIA SENTENTIA VIRISIMILIS, EX METRODORO.

E1_38 v.1 Quodvis vitae iter insistas : si rura voluptas,
 2 tecta quies habitet, fama decusque forum ;
 3 rem mare suppeditat, comitatur gloria ditem
 4 si peregre it, nemo conscius est inopi ;
 5 felix vita toris genialibus adstat : es expers
 6 conjugis, et curae pondere liber eris,
 7 deliciae patrum soboles, minus angeris orbus :
 8 robusta est aetas prima, secunda pia.
 9 Commoda quum vitae tot sint, vota utraque damna :
 10 non nasci, aut hausta luce repente mori.

AD ROGERUM ASCHAMUM ANGLUM,

QUI LIBRUM CUM HONORIFICO ELOGIO, ET SUI AMORIS SIGNIFICATIONE MISERAT.

E1_39 v.1 Amplector, Rogere, tuum vehementer amorem,
 2 et nimii doctum pignus amoris amo ;
 3 nec minus est animus genitor mihi gratus amoris,
 4 quaeque animum virtus ornat amatque tuum ;
 5 nec minus est gratus magni comes error amoris,
 6 et nimio caecum pectus amore mei.
 7 Et cum cuncta probem, virtutem, munus, amorem,
 8 et nimio fetum pectus amore mei :
 9 absque errore meo vellem fas esset amare
 10 errorem de me, dulcis amice, tuum.

IN GELLIAM.

E1_40 v.1 Posse negem in varias se vertere Protea formas ?
 2 Vertumnum vultus sumere posse novos ?
 3 Quaeque pia pavit sceleratum fraude parentem,
 4 quique tuos petiit Deianira toros ?
 5 Cum toties juvenes vultus de pixide sumas,
 6 quottidie in faciem Gellia versa novam ?
 7 Posse negem e puero juvenes Iolaon in annos
 8 mutari subito, Calliroesque genus ?
 9 Aesonaque in viridem succo rediisse juventam,
 10 et quae Nysaeis Bacchum aluere jugis ?
 11 Nulla dies non te cum spectet mane puellam,
 12 nulla dies non te vespere cernat anum ?

AD LEONORAM.

E1_41 v.1 Nupta prius mater fuerat ; dein debilis aetas
 2 efficit hanc lenam nunc, Leonora tuam.
 3 At meretrix quam nupta prius tu filia, matrem
 4 vincis, mox natae lena futura tuae.
 5 Quid lenae neptis, meretricis filia, patre
 6 ex Monacho tantis laudibus adjiciet ?
 7 Adjicit, et primis hanc atque hanc vincit in annis,

8 paene infans matris jam quoque lena suae.
 9 Scilicet ante annos generosi seminis arbor
 10 protinus in fructus luxuriare solet.

AD PEIRIDEM.

E1_42 v.1 Carnem ut emas, Peiris, venalis filia prostat,
 2 et pretium cenae fit Leonora tuae.
 3 Crede mihi, hoc facinus superat feritate Cyclopas,
 4 et Laestrygoniae facta cruenta gulae.
 5 Nam neque Cyclopus Cyclops in corpora saevit,
 6 Antiphates socios nec laniavit atrox.
 7 Hostis eis, tumidisve hospes ejectus ab undis,
 8 fluctibus aut lacerae praeda fuere rates.
 9 Tu referre putas nihil an sit civis, an hospes ;
 10 dumque vores, curae est nil tibi quale vores.
 11 utque vores alios, truculentior ista ferarum
 12 saevitia est, natam posse vorare suam.

COENA GAVINI ARCHIEPISCOPI GLASCUENSIS.

E1_43 v.1 Praesulis accubui postquam conviva Gavini,
 2 diis non invideo nectar et ambrosiam.
 3 Splendida cena, epulae lautae ambitione remota,
 4 taetrica Cecropio seria tincta sale ;
 5 coetus erat Muis numero par, nec sibi dispar
 6 doctrina, ingenio, simplicitate, fide.
 7 Ipse alios supra facundo prominet ore,
 8 qualis Castalii praeses Apollo chori.
 9 Sermo erat aetherii de majestate tonantis,
 10 ut tulerit nostrae condicionis onus ;
 11 ut neque concretam Divina potentia labem
 12 hauserit in fragili corpore tecta hominis ;
 13 nec licet in servi Dominus descenderit artus,
 14 naturam exuerint membra caduca suam.
 15 Quisquis adest dubitat scholane immigrarit in aulam,
 16 an magis in mediam venerit aula scolam.
 17 Juppiter Aethiopum convivia solus habeto,
 18 dum mihi concedat Praesulis ore frui.

E GRAECO.

E1_44 v.1 Liber eram, vacuo mihi cum sub corde Neaera
 2 ex oculis fixit spicula missa suis ;
 3 deinde unum evellens ex auricomante capillum
 4 vertice, captivis vincla dedit manibus.
 5 Risi equidem, fateor, vani ludibria nexus,
 6 hoc laqueo facilem dum mihi spero fugam ;
 7 ast ubi tentanti spes irrita cessit, aenis
 8 non secus ac manicis implicitus, gemui.
 9 Et modo membra pilo vinctus miser abstrahor uno,
 10 quo dominae nutus me violentus agit.

E GRAECO.

E1_45 v.1 Robora si linguae Demosthenis aequa fuissent,
2 non Macedum Graias Mars populasset opes.

IN HOMINEM VANUM.

E1_46 v.1 Dum blitea insani compilas scripta Doleti,
2 et blateras nullo jurgia tincta sale,
3 quicquid agunt alii prae te contemnis, et uni
4 se tibi dat Phoebus, Pieridesque favent.
5 Solus agas recte per me licite omnia ; sed dum
6 omnia te solo iudice solus agas.

AD LEONORAM.

E1_47 v.1 Nescio tot moechi tibi cum, Leonora, fuissent,
2 cur Monachum natae dixeris esse patrem :
3 ni grege de tanto, qui nocte dieque ruebant,
4 nemo minis Monacho forte pudendus erat.

AD LEONEM.

E1_48 v.1 Cum strepis assidue fulgentibus arduus armis,
2 horrida cum jaculo est dextera, et ense latus ;
3 cum seges impexae tibi prominet arida barbae,
4 cum riget in tristes frons caperata minas,
5 te timidum dici vulgo indignaris, et esse
6 indicia haec quemquam non metuentis ais.
7 Qui timet assidue est timidus : timidus Leo es ergo.
8 Semper enim a nullo ne timeare, times.

AD JULIUM CAESAREM SCALIGERUM.

E1_49 v.1 Dum nunc nivalis Aquilo constringit gelu
2 lapsus rapaces fluminum,
3 nunc densus Auster vallium declivia,
4 nimiis inundat imbribus,
5 pedesque glacie vel vacillant lubrica,
6 vel in profundo haerent luto,
7 cunctos levabat spes labores unica
8 doctum videndi Julium.
9 Hac spe ferebat pes viae molestias
10 omnes libenter, et oculis
11 jam tum imputabat gaudium : laetus animus,
12 bonis futuris ebrius,
13 praegestiebat, jam velut voti sui
14 fructu beato perfruens,
15 sed lux Agini quinta nunc agitur mihi,
16 fastidiosa dum mora

17 cumulat viarum incommoda, et mens anxia
 18 spes pendet inter et metus.
 19 Quamvis laboris omnia ingratiissimi
 20 sint plena, res mihi unica
 21 magis molesta est ceteris molestiis,
 22 non intueri Julium.

AD REGINAM NAVARRAE, MARGARITAM BORBONIAM.

E1_50 v.1 Nobilis Ascraeis facta est Pandora Camenis,
 2 nobile Lemniacae scilicet artis opus.
 3 Et decor et nitidos finxit reverentia vultus,
 4 blandaque virgineus pinxerat ora pudor ;
 5 addidit ingenii volucer Tegeaeus acumen,
 6 egregias artes scire Minerva dedit ;
 7 laeta Venus laetum capiti aspiravit honorem,
 8 adjecit lepidos mellea Suada sonos.
 9 At bona ni spernat praesentia livor iniquus,
 10 et sua vix laudet saecula lentus honos ;
 11 nec minor est doctae tibi, Margari, gratia linguae,
 12 nec minor eximio fulgurat ore decor ;
 13 nec gemitus Maia, nec Pallas amicior illi,
 14 quam tibi, nec Pitho, nec magis aequa Venus.
 15 Cetera dii pariter vobis tribuere benigni,
 16 plus tamen hoc aequa parte dedere tibi :
 17 illa novas pestes mortalibus intulit aegris,
 18 at tibi jus fasque est cum pietate comes.

IN JOANNEM SOLO COGNOMENTO MAJOREM,
 UT IPSE IN FRONTE LIBRI SUI SCRIPSIT.

E1_51 v.1 Cum scateat nugis solo cognomine Major,
 2 nec sit in immenso pagina sana libro,
 3 non mirum titulis quod se veracibus ornat :
 4 nec semper mendax fingere Creta solet.

AD LEONORAM.

E1_52 v.1 Et scio te pictam, scio te, Leonora, voracem,
 2 et scio inexpletae gurgitem avaritiae ;
 3 et scio te pueris carnem pro carne dedisse,
 4 nec tibi fumosos displicuisse coquos ;
 5 et scio te Monachis mendicis claudere limen,
 6 inguine nec limen tristius esse tuo ;
 7 et plus quam vellem, plus quam me scire necesse est,
 8 et plus quam deceat, denique cuncta scio.
 9 Et cum cuncta sciam, videor fore sanus ; at unum
 10 nescio, cuncta sciens : cur male sanus amem.

NOMINE HENRICI KILGRAEI ANGLI
AD ANTONII COCCII DOCTISSIMI FILIAM EGREGIE DOCTAM, QUA POSTEA KILGRAO NUPSIT.

E1_53 v.1 Et decor et facies cum simplicitate venusta,
2 insidiosa oculis, imperiosa animis ;
3 et motura feras docti vox pectoris index,
4 paene parem superis te facit esse deis.
5 Si par eximiam decoret constantia formam,
6 efficiet superos haec tibi paene pares.

AD MORTEM, EIDEM HENRICO SCRIPTUM.

E1_54 v.1 Spes fallax, vanaeque preces, et inania vota,
2 et lacrimae, et damno laeta Erycina meo,
3 parcite, sopitis et me mihi reddite curis,
4 sit mora tormento, suppliciisque modus.
5 Quod si nulla aegram relevent oblivia mentem,
6 nec contenta ferus vincula laxet amor,
7 tu saltem miserere animae non digna ferentis,
8 Mors, medicina meis una relicta malis.

EIDEM SCRIPTUM.

E1_55 v.1 In me consumpsit vires fortuna maligna,
2 quaeque ferunt hominum fata, reguntque vices ;
3 in me consumpsit sic tela facesque Cupido,
4 ut spatium plagae non sit inane novae.
5 Quique patet miseris ad cuncta pericula portus,
6 non recipit fessam mors mihi saeva ratem.
7 Ambiguoque viae stanti ad confinia vitae
8 lumina mors claudit, vita manere negat.
9 Cogor ad hoc tantum ingratas producere luces,
10 sufficiat poenis ut mea vita novis.
11 Quae mea condicio est, cui tam praepostera lex est
12 Fatorum, ut sit mors vivere, vita mori ?

EIDEM AD DOMINAM NAVIGATURAM.

E1_56 v.1 Unde meo sperem requiem, mea vita, dolori,
2 si fortuna meis non satiata malis
3 perstat adhuc saevire, odiisque tenaciter urgens
4 armat in exitium cuncta elementa meum ?
5 Spes et vota ferunt rapidi per inania venti :
6 unde prius solita est flamma alimenta trahit ;
7 unda rapit, raptum id spatiis terra invida longis
8 dividit, unde animae vita erat una meae.
9 Te quoque forte etiam capient oblivia nostri,
10 certe animum haec uret sollicitudo meum.
11 Hac ego si merui torqueri pectora cura,
12 ut metuam nostri ne memor esse velis,
13 non querar, aut lacrimis crudum exsaturabo dolorem,
14 ne lacrimae nostro sint medicina malo.
15 Dignus enim est tales poenas expendere, quisquis
16 sustinet a vultu vivus abesse tuo.

DE MELLINO SANGELASIO.

E1_57 v.1 Mellinum patrio sale carmina tingere jussit,
2 parceret ut famae Musa, Catulle, tuae.

IN DIVITEM AVARUM.

E1_58 v.1 Das inopi dives, sed qualia reddere possit,
2 munera. Nonne hoc est dicere "Redde mihi" ?

DE ADAMANTE MISSO A REGINA SCOTIAE AD REGINAM ANGLIAE.

E1_59 v.1 Hoc tibi quae misit cor, nil quod posset, habebat,
2 carius esse tibi, gratius esse tibi.
3 Quod si forte tuum ipsa remiseras, illa putabit
4 carius esse sibi, quam fuit ante tibi.

E GRAECO.

E1_60 v.1 Pauper eram juvenis, senio confectus inert
2 sum locuples, misere forte in utraque miser.
3 Quando frui poteram rebus, mihi copia dE2_rat ;
4 copia nunc superest, fructus et usus abest.

E GRAECO.

E1_61 v.1 Fata ferunt, fer fata, ferent : sin forte repugnas,
2 et te ipsum crucias, nec minus illa ferent.

ALITER.

E1_62 v.1 Si te fata ferunt, fer fata : ferere. Ferentes
2 fata ferunt : rapiunt, si minus illa feras.

E GRAECO.

E1_63 v.1 Mors velut immineat, praesentibus utere rebus ;
2 parce, velut fati sera sit hora tui.
3 Vere etenim sapiens est is qui certum adhibere
4 novit avaritiae luxuriaequae modum.

IN DOLETUM.

E1_64 v.1 Carmina quod sensu careant, mirare, Doleti.
2 Quando qui scipsit carmina, mente caret.

E GRAECO ANACREONTIS.

E1_65 v.1 Et terra sicca potat,
 2 terrasque silva, et aura
 3 silvas, et aequor auras,
 4 et sol repotat aequor,
 5 et luna solem. Inique
 6 incessitis sodales
 7 me, quod bibam libenter.

E GRAECO.

E1_66 v.1 Non agros cupio mihi feraces,
 2 non aurum veluti Gyges ; sed illum
 3 qui mi sufficiat, Macrine, victum
 4 illud. Nil nimium nimis juvat me.

IN ST. DOLETUM.

E1_67 v.1 Verba Doletus habet (quis nescit ?) splendida ; verum
 2 splendida nil praeter verba Doletus habet.

E GRAECO SIMONIDIS.

E1_68 v.1 Nec ullus expers criminis, nec mortis est.

EPIGRAMMATUM LIBER II - JUSTA et ICONES

JUSTA.

JACOBO IV REGI SCOTORUM.

E2_1 v.1 Fama orbem replet, mortem sors occulit : at te
 2 desine scrutari quod tegat ossa solum.
 3 Si mihi dent animo non impar fata sepulchrum,
 4 augusta est tumulo terra Britannia meo.

MAGDALENAE VALESIAE REGINAE SCOTORUM, XVI AETATIS ANNO EXSTINCTAE.

E2_2 v.1 Regia eram conjux, et regia filia, neptis
 2 regia, spe et votis regia mater eram.
 3 Sed ne transgrederer mortalis culmen honoris,

4 invida mors hic me condidit ante diem.

EIDEM.

E2_3 v.1 In me certarunt totas expromere vires
 2 natura, et virtus, gloria, morsque suas.
 3 Esse bonam tribuit virtus, natura decoram,
 4 esse brevis vitae mors inimica dedit :
 5 vivida perpetuum sed gloria floret in aevum,
 6 ut pensem vitam perpete laude brevem.

EIDEM.

E2_4 v.1 Nata bis octonos Valesia Magdalis annos
 2 hic immaturo funere rapta jacet.
 3 Quam rapta invitis, lacrimis miserabile vulgus,
 4 maestitia proceres, vir pietate probat.

BRIANDO VALLIO.

E2_5 v.1 Dignus erat Pylio canescere Vallius aevo,
 2 hospite si tanto digna fuisset humus.
 3 Ergo seni, quo nil melius, nec doctius orbe
 4 permenso vidit sol, Deus astra dedit.

CRITTONI

E2_6 v.1 Critto suo cupiens aliquid superesse sepulchro,
 2 nec simul in Stygios totus abire lacus,
 3 omnibus appingit fastosa insignia vitris,
 4 nec titulis vacua est ulla fenestra novis.
 5 O spes fluxa, brevis famae fiducia, mendax
 6 gloria cum primo deperitura Noto.

GULIELMO BUDAEO

E2_7 v.1 Gallia quod Graeca est, quod Graecia barbara non est,
 2 utraque Budaeo debet utrumque suo.

EIDEM.

E2_8 v.1 Sunt universi splendor orbis Galliae,
 2 et Galliarum splendor est Lutetia,
 3 splendor Camenae sunt sacrae Lutetiae :
 4 Budaeus ornat unus innocentia,
 5 splendore vitae, litteris, solertia,
 6 orbem, Camenas, Galliam, Lucretiam.

GILBERTO KENNEDO COMITI CASSILISSAE.

E2_9 v.1 Hic situs est heros humili Gilbertus in urna
 2 Kennedus, antiquae nobilitatis honos,
 3 Musarum Martisque decus, pacisque minister,
 4 et columen patriae consiliumque suae.

5 Occidit insidiis fallaci exceptus ab hoste,
 6 bis tria post vitae lustra peracta suae.
 7 Parce, hospes, lacrimis, et inanem comprime luctum,
 8 non misere quisquam, qui bene vixit, obit.

JACOBO SILVIO.

E2_10 v.1 Silvius hic situs est, gratis qui nil dedit umquam :
 2 mortuus et gratis quod legis ista, dolet.

JACOBO FABRE.

E2_11 v.1 Qui studiis primus lucem intulit omnibus, artes
 2 edoctum cunctas haec tegit urna Fabrum.
 3 Heu ! tenebrae tantum potuere extinguere lumen ?
 4 Si non in tenebris lux tamen ista micet.

FLORENTIO VOLUSENO SCOTO.

E2_12 v.1 Hic Musis, Volusene, jaces carissime, ripam
 2 ad Rhodani, terra quam procul a patria ?
 3 Hoc meruit virtus tua, tellus quae foret altrix
 4 virtutum, ut cineres conderet illa tuos.

IN ROBERTUM CARNICRUCIUM SANCTAE CRUCIS ABBATEM.

E2_13 v.1 Dat titulos, dat opes, dat Crux mihi nomina gentis,
 2 addictusque cruci cum patre frater erat.
 3 Crux fueram cunctis : mihi ne crux undique desit,
 4 membra mea en moriens do crucienda cruci.

IN EUNDEM.

E2_14 v.1 Corpore cum foedo species sit foedior oris,
 2 foedum pectus habet, foedius ingenium :
 3 a cruce Parca dedit nomen praesaga futuri,
 4 haud alia hoc dignum morte cadaver erat.

JOANNI DIGUALLO,

ARGUMENTO SUMPTO EX ADAMI OTTERBURNI EQUITIS CLARISSIMI HEXAMETRIS.

E2_15 v.1 Nomine Joannes, Diguallus origine, flamen
 2 flamine natus erat, quem regit iste lapis ;
 3 et patrio censu nec nummo ditior uno,
 4 scriptura primas accumulavit opes.
 5 Sedulus hinc Petri coluit mensarius urbem,
 6 hinc tumor, hinc res, hinc gloria, luxus, opes ;
 7 et velut hinc etiam traxisset stemmata gentis,
 8 ornatur titulis parma superba novis.

AD ADAMUM OTTERBURNUM.

E2_16 v.1 Lana mea est, (inquis) tua tela est, cum tibi reddo
 2 haec de carminibus carmina facta tuis.
 3 Synthesin e propria textam si dem tibi lana,
 4 gloria Palladiae non minus artis erit :
 5 nec minus insigni Lysippus laude feretur,
 6 aere licet fingat signa animosa tuo.
 7 Tolle, ais, hinc artem, lanam mihi redde, quid autem
 8 ars tua, materia deficiente, potest ?
 9 At mihi furtivae si reddas vellera lanae,
 10 nuda tamen pretium merx feret ista suum.
 11 Hac vos de tabula pictores lege colores
 12 tollite : Daedalia cesset in arte labor.
 13 Nulla Tarentino livescat lana veneno,
 14 nec rubeant Tyriis vellera cocta focis.
 15 Deferat argentem dehinc pauper Mulciber Aetnam :
 16 mendicet Steropes, algeat Acmonides.
 17 Subtrahe materiam, nihil artem mosse fatemur ;
 18 sed pretium gemmis majus ab arte venit.
 19 At mea sedulitas fumos non colligit istos :
 20 si non culpabor, sat mihi laudis erit.

FRANCISCO BELCIERIO SUPREMO IN SENATU BURDEGALENSI PRAESIDI.

E2_17 v.1 Franciscus hic est Belcierius situs,
 2 virtute honores adsecutus maximos,
 3 princeps virorum in principum coetu diu
 4 praeses, notatus labe nulla, splendida
 5 fama, modestis opibus, ingenti omnium
 6 maerore raptus ordinum, quamvis senex
 7 felice felix prole fato cesserit.
 8 Quicumque transis parce lacrimis, et tibi
 9 tuisque talem posce vitam et exitum.

ANDREAE GOVEANO.

E2_18 v.1 Alite non fausta genti dum rursus Iberae
 2 restituis Musas, hic Goveane jaces.
 3 Cura tui Muis fuerit si mutua, nulla
 4 incolet Elysium clarior umbra nemus.

INNOCENTIO FONTANO BURDEGALENSI POETAE ET CAUSIDICO.

E2_19 v.1 A fonte nactus nomen Innocentius,
 2 dieque natus Innocentibus sacro,
 3 legatus a Republica Lutetiam
 4 missus, paroeciae hospes Innocentium,
 5 vivos reliquit Innocentibus die
 6 sacro : Innocentum corpus in fano jacet,
 7 fontem sepultum propter Innocentium.
 8 Vitae peractae propter innocentiam
 9 caelum Innocentes inter animus incolit.

PETRO PLANCIO PARISIENSI.

E2_20 v.1 Fessus Atlantiades toties transmittere nubes,
 2 Taenariam toties ire, redire viam :
 3 ante Jovem supplex stetit, et finire labores
 4 postulat, aut socium qui relevaret onus.
 5 "Aequa petis, (ait ille) petisque in tempore, nam te
 6 qui juvet, aut nemo, aut Plancius unus erit.
 7 Saepe ego per tenebras vidi cum scanderet Alpes
 8 concretae gelidum findere marmor aquae ;
 9 vidi cum fessos cursu praeverteret Euros,
 10 et Zephyri lentos antevolaret equos.
 11 Non labor insomnis, non saevae injuria brumae,
 12 non sitis aestiferi cum furit ira canis ;
 13 non salebris colles, non caeno undante paludes,
 14 non scopulis torrens impediabat iter.
 15 Quid referam ingenium, magnaepque capacia curae
 16 pectora, custodem depositique fidem ?
 17 Eloquiumque potens mandatis addere pondus,
 18 comere res tenues, promere difficiles ?
 19 Et facilem quamvis ad cetera munia mentem,
 20 difficilem falli muneribusque capi ?
 21 Hunc age : quam primum volat ille, et mole relictâ
 22 corporis, Eridanus qua Ligus urget aquas,
 23 astra, Deum plaudente choro, novus incola scandit
 24 Plancius, et superum jussa minister obit.
 25 Sis felix licet, usque tuis decus, et dolor ingens,
 26 ultima nos donec mittet in astra dies."

EIDEM.

E2_21 v.1 Cura, fides, labor, ingenium, vigilantia, Planci,
 2 fecerunt carum civibus esse tuis.
 3 Jam virtus, hominumque favor spondebat honores,
 4 et meritis regum conciliatus honor.
 5 Sed vulgaris honos meritis minor ; ergo abiisti
 6 illo, ubi virtuti verus habetur honos.

HENRICO BORBONIO SUMMAE SPEI ADULESCENTI.

E2_22 v.1 Borboniae spes illa domus, patriaeque patrisque,
 2 nunc patris et patriae, Borbonidumque dolor,
 3 hic situs Henricus, violas adsperge viator ;
 4 neu bona quae fuerat vita, reare brevem.
 5 Sat vixit, bene qui vixit : spatium brevis aevi
 6 ignavi numerent tempore, laude boni.

PATRICIO BUCHANANO FRATRI.

E2_23 v.1 Si mihi privato fas indulgere dolori,
 2 ereptum, frater, te mihi jure fleam :
 3 nostra bonis raros cui protulit artibus aetas,
 4 et nivea morum simplicitate pares.

5 At si gratandum laetis est rebus amici,
 6 gratulor immensis quod potiare bonis.
 7 Omnia quippe piae vitae et sinceriter actae
 8 praemia securus non peritura tenes.

JOANNI RANSFORTO EQUITI ANGLO.

E2_24 v.1 Hunc, Ransforte, tuo cineri Buchananus honorem
 2 dat meritum, duro cultus in exsilio.
 3 Mens generosa atavos non est mentita vetustos :
 4 pace tua est pietas cognita, Marte manus.
 5 Cultus erat simplex, sine luxu splendida mensa,
 6 ara domus miseris, arca benigna bonis.
 7 Non libertatem fandi peregrina tyrannis,
 8 non animum fregit patria serva tuum.
 9 Mens invicta malis fesso de corpore cessit,
 10 jam pulso exitii servitiique metu.

CAROLO COSSAEO BRIXIACI COMITI.

E2_25 v.1 Carolus hic situs est modica Cossaeus in urna,
 2 Pyramidum dignus cui tegat ossa labor.
 3 Patria Brixiacum, genus alto e sanguine Cossi,
 4 nec proavum inferior nobilitate torus.
 5 Ingenium felix, facies gratissima, vicit
 6 nemo manu juvenem, consilioque senem.
 7 Quaecumque armiferis inimica est natio Francis,
 8 auxit eum titulis Marte coacta novis.
 9 Cum Batavo Germanus, Iber, Ligur, Insuber, Anglus,
 10 laudavere fidem, ceu tremuere manum.
 11 Quod mortale fuit, rapuit mors : fama virescit,
 12 dum domus Hectoridum regia sceptrum geret.

ALEXANDRO COBURNNO.

E2_26 v.1 Omnia quae longa indulget mortalibus aetas,
 2 haec tibi, Alexander, prima juvenia dedit.
 3 Cum genere et forma generoso stemmate digna,
 4 ingenium velox, ingenuumque animum.
 5 Excoluit virtus animum, ingeniumque Camenae
 6 successu, studio, consilioque pari.
 7 His ducibus primum peragrata Britannia, deinde
 8 Gallia ad armiferos qua patet Helvetios ;
 9 doctus ibi linguas, quas Roma, Sion et Athenae,
 10 quas cum Germano Gallia docta sonat.
 11 Te licet in prima rapuerunt fata juvenia,
 12 non immaturo funere raptus obis.
 13 Omnibus officiis vitae qui functus obivit,
 14 non fas est vitae de brevitate queri.

ROGERO ASCHAMO ANGLO.

E2_27 v.1 Aschamum extinctum patriae, Graiaequae Camenae,
 2 et Latiae versa cum pietate dolent.
 3 Principibus vixit carus, jucundus amicis,
 4 re modica, in mores dicere fama nequit.

DIANAÆ.

E2_28 v.1 Venatrix Regum jacet hac sub mole Diana,
 2 fracta annis, nec tum sponte pudica fuit.
 3 Omnia quae rapuit, tandem nil amplius optat ;
 4 sed quod nunc satura est, gratia Parca tibi.

JACOBO STUARTO SCOTORUM PROREGI.

E2_29 v.1 Quamvis flere nefas te caelo, Iacobe, receptum,
 2 tot populis numquam mors fuit una dolor ;
 3 nullo umquam tantam se ingessit pectore virtus,
 4 signa nec ostendit tam manifesta sui.
 5 Nullo umquam impietas gavisata est funere tantum,
 6 nec sibi plus juris credidit esse nefas.
 7 Icta licet tanto genitrix sit Scotia luctu,
 8 tam genitum gaudet, quam periisse dolet.

JOANNI HAMILTONO FANI ANDREAE ARCHIEPISCOPO.

E2_30 v.1 Prostibulum plebis miserae, lupa publica mater,
 2 fecit ut incerto de genitore fores.
 3 Vix tandem inventus proles cupidusque et egenus,
 4 qui te progeniem diceret esse suam ;
 5 sed generis mansere notae, mens subdola, fallax
 6 lingua, animus gaudens sanguine, dextra rapax,
 7 luxuries parti male pejus prodiga, fornix
 8 pro thalamo, nummus numinis instar erat.
 9 Adjuncti his vitiis naturae plurima sponte,
 10 dignus Hamiltona dum cupis esse domo.
 11 Stemmata sed falso nihil a te dignius actum est,
 12 in cruce quam laqueo quod tua colla dares.

EIDEM.

E2_31 v.1 Corpus Hamiltoni jacet hac Antistitis urna :
 2 impurus lassat spiritus Eumenidas.
 3 Prodigio tandem respirat libera tellus,
 4 ad Stygium gaudet noxia turba lacum :
 5 dum totus ruit in poenas unius Avernus,
 6 stat rota, nec Phlegyas flagra facesque timet.
 7 Sisyphus in saxo sedet, haurit Tantalus undam,
 8 et Tityi, lasso vulture, fibra jacet.
 9 Quae multis caeso quaesita est gloria monstro,
 10 jure suo hanc propriam crux laqueusque tulit.
 11 Exitus ut justus, sic justa injusta fuerunt,
 12 corpore sacrilego quod caruere canes.

JOANNI JUELLO.

E2_32 v.1 Reginae geminae pari labori,
 2 verum non animo pari, Juelle,
 3 fecerunt, pietas ut esset orbi
 4 illustris tua. Saeviendo ferro
 5 et igne altera id egit, ut niteret
 6 virtus temporibus probata duris,
 7 ut aurum solet ignibus recoctum.
 8 Justo te altera prosequens honore
 9 produxit patriae in theatrum ; et oris
 10 tot dotes animique adhuc latentes
 11 offendit populo , sed eruditis
 12 et plenis pietatis, entheoque
 13 fervore ingenii libris, nepotum
 14 famam in saecula dum tuam propagas,
 15 illiusque odio, istiusque amore
 16 majorem ipse tibi celebritatem
 17 famae in tempora cuncta comparasti.

EIDEM

E2_33 v.1 Juelle, mater quem tulit Devoniam,
 2 nutrixque fovit erudita Oxonia,
 3 quem Maria ferro et igne patria expulit,
 4 virtus reduxit ; praesulem fecit parens
 5 Elisabetha docta doctarum artium.
 6 Pulvis pusillus te sepulchri hic contegit :
 7 quam parva tellus nomen ingens occulit !

ICONES.

SATURNUS.

E2_34 v.1 Aurea saecula olim me paupere Rege fuerunt :
 2 lis, vis fraus aberant, omnia pacis erant.
 3 At nunc justitiam mentita injuria dives,
 4 lis, vis, fraus, auri saecula nuda premunt.

JUPITER.

E2_35 v.1 Largus opis, nec avarus opum, dum regna tenebam :
 2 inde mihi caelum fama benigna dedit.
 3 Haec aequat virtus humili de plebe Quiritem
 4 regibus, haec homines efficit una deos.

MARS.

E2_36 v.1 Magna quod evortam Mavors sum jure vocatus,
 2 quam validus dextra, tam rationis inops.
 3 Vis, furor, ira, pavor, comites sunt, et mihi testes,
 4 quantum consilii vis ferat orba mali.

SOL.

E2_37 v.1 Sol oculus mundi, longum mortalibus annum,
 2 inque vicem noctes metior, atque dies.
 3 Luminis et vitae fons, per quem fructus et usus
 4 utilibus, pulchris gratia rebus adest.

VENUS.

E2_38 v.1 Alma Venus, rerum genitrix, hominumque voluptas,
 2 curarum requies, publicus orbis amor.
 3 Hi quoque, qui tetricis invadunt crimina verbis,
 4 vultu dissimulant, dissimulant et amant.

MERCURIUS.

E2_39 v.1 Quot Protei vultus, tot sunt mihi nomina et artes,
 2 nulla est ingenio fraus male nota meo.
 3 Tam catus et mendax ; vafreque impostor, ut esse
 4 possim chemistes, augur, et astrologus.

LUNA.

E2_40 v.1 Quod maculas vultus alieno lumine fuco,
 2 muta cuncta, marem nunc peto, nunc fugio.
 3 Quod vaga, quod numquam constans, vis discere causam ?
 4 Femina sum, uxoris forsitan imago tuae.

TEMPUS.

E2_41 v.1 Sum genitor veri, domitor livoris, operti
 2 index, astrorum filius atque comes.
 3 Me sequor, et fugio mea per vestigia, numquam
 4 cum sim, quottidie nascor et intereo.

VICTORIA.

E2_42 v.1 Si tam consilio firmet Victoria mentem,
 2 quam palpat sensus laetitiaque capit.
 3 Anteferenda aliis cunctis foret unica ; verum
 4 fortunae raro est mens bona juncta bonae.

ALCYONE.

E2_43 v.1 Solvere quae vitae potuerunt stamina Parcae,
 2 solvere conjugii non potuere fidem.
 3 Alcyone unus amor Ceyx vivus fuit, idem
 4 Alcyone Ceyx mortuus unus amor.

HELENA.

E2_44 v.1 Vix fieri, si sint gignentum in semine vires,
 2 non, Jovis et Ladae filia, pulchra potes.
 3 Vix fieri, si sint gignentum in semine vires,
 4 et Jovis et Ladae filia, casta potes.

EADEM.

E2_45 v.1 Mille petita procis, totidem repetita carinis,
 2 mille poetarum fama laborque fui.
 3 O si nota minus, minus et formosa fuisset !
 4 Maxima matronae est laus latuisse probae.

PENELOPE

E2_46 v.1 Formosam, viduam, ditemque, in flore juventae,
 2 inter tot juvenes, Penelopea, procos,
 3 qui te servatam bis denos credidit annos,
 4 non oculis tantum captus, opinor, erat.

DIDO.

E2_47 v.1 Casta, decens, generosa animi, Phoenissa peregi
 2 femina, magnanimis vix imitanda viris.
 3 At tu sacratam, Maro, labe adspergere famam
 4 conaris, famae non sine labe tuae.

SOPHONISBA.

E2_48 v.1 Vivere post victam patriam, patremque, domumque,
 2 non potero dominis mancipium Ausoniis.
 3 Morte manumittar : poteram feliciter ante
 4 non iterum taedis conciliata novis.

ALEXANDER MACEDO.

E2_50 v.1 Famae dira fames, sitis et vesana cruoris,
 2 rex Macedo, vitae carnificina tuae :
 3 non fine exstingui potuerunt justius ullo,
 4 quam potando sitis, quam comedendo fames.

IDEM.

E2_51 v.1 Magnus Alexander, praedo clarissimus, orbis
 2 exitio vivens, ludibrio moriens.
 3 Perdere quem nequirit Mars armis, Bacchus inermis
 4 perdidit, immixto cum Stygis amne mero.
 5 Famae dira fames exstingui hoc fine, cruoris
 6 hoc fine exstingui debuit atra sitis.

LAURENTIUS VALLA.

E2_52 v.1 Quid celebras Marios, Curios, fortemque Camillum,
 2 miratrix veterum, Martia Roma, ducum ?
 3 Omnibus iis egit potioem Valla triumphum :
 4 unde tuus cuncta in saecula vivet honos.

IDEM.

E2_53 v.1 Monstra animi domuere sophi : quae terra vel Orcus
 2 pertulit, Herculea sunt superata manu.
 3 Portentis Latium sermonem Valla levavit,
 4 invicto expugnas pectore barbariem.

MARIA REGINA SCOTIAE PUELLA.

E2_54 v.1 Ut Mariam finxit natura, ars pinxit : utrumque
 2 rarum et solertis summum opus artificis.
 3 Ipsa animum sibi dum pingit, sic vicit utrumque,
 4 ut natura rudis, ars videatur iners.

EADEM ADULTA.

E2_55 v.1 Ni mihi tam foedus, tam dirus avunculus esset,
 2 saeculi hujus Mariae femina prima forem.
 3 Sed vitiis, quibus evertit regna omnia, famam
 4 polluit ille suam, polluit ille meam.

CAROLUS LOTHARINGIUS CARDINALIS.

E2_56 v.1 Jam furor humanus Furias lassarat, inermes
 2 torpuerant angues, torpuerantque faces :
 3 cum te vis inimica bonis, Carle, edidit, unus
 4 pro Furiis possis qui satus esse tribus.

MARGARITA REGINA NAVARRAE.

E2_57 v.1 Esse aliis videor felix patre Rege, viroque,
 2 et nato, et proavis edita sceptrigeris.
 3 Ast ego felicem, si sum, me judico, rerum
 4 quod Dominus famulam me velit esse suam.

MARIA REGINA ANGLIAE.

E2_58 v.1 Sum Marie, male grata patri, male grata marito :
 2 caelo invisam, meae pestis atrox patriae.
 3 Nulla aberat labes : nisi quod fuit addita custos
 4 fida pudicitiae forma maligna meae.

IN ELIZABETHAM ANGLIAE REGINAM.

E2_59 v.1 Cujus imago deae, facie cui lucet in una,
 2 temperie mixta, Juno, Minerva, Venus ?
 3 Est dea ; quid dubitem ? Cui sic conspirat amice
 4 mascula vis, hilaris gratia, celsus honos ;
 5 aut dea si non est, diva est quae praesidet Anglis,
 6 ingenio, vultu, moribus aequa deis.

IN EANDEM.

E2_60 v.1 Quae manus artificis tria sic confundit, ut uno
 2 gratia, majestas, et decor ore micent ?
 3 Non pictoris opus fuit hoc, sed pectoris, unde
 4 divinae in tabulam mentis imago fluit.

AD THOMAM RANDOLPHUM ANGLUM.

E2_61 v.1 Saepe tibi, Randolphe, jubes me pingere regem,
 2 qualem optem, tribuat si mihi vota Deus.
 3 Accipe. Sit primum verae pietatis amator :
 4 effigiem summi se putet esse Dei.
 5 Pacem amet, et si res poscat, sit ad arma paratus ;
 6 exuat in victos arma, odiumque simul.
 7 Nolo nimis parcus, nimium sit nolo benignus,
 8 utraque regno aequae est exitiosa lues.
 9 Non sibi sed populo sese putet esse creatum,
 10 et se communem civibus esse patrem.
 11 Puniat invitus, cum res jubet esse severum ;
 12 publica cum poscent commoda, lenis erit.
 13 Vivat, ut exemplar populo sit recta sequendi ;
 14 sit vultus pravus terror, amorque bonis.
 15 Excolat impense ingenium, corpusque modeste :
 16 luxuriam frenet cum ratione pudor.
 17 Jam tacitus tecum, tentas me fallere, tamquam
 18 in tabula nostram qui mihi pingis heram.

IN SYLLAM.

E2_62 v.1 Nulla cadaveribus quod crux vacet, aut cruce campus,
 2 quod lacera in portis omnibus ora patent ;
 3 quod sonat attrita feralis compede carcer,
 4 squallet et humanis ossibus albet ager ;
 5 artibus his regem dici te, Sylla, severum,
 6 et patriae affectas ut videare pater.
 7 Sic mihi se medicus doctum per funera jactet,
 8 sic fracto laudes Automedonta jugo ;
 9 navita naufragiis celebretur : perdere cives
 10 sit laus egregii saeva per arma ducis.
 11 Perdere non populum generosi est gloria regis :
 12 pro populo regem est gloria vera mori.

AMOR.

E2_63 v.1 Quis puer ales ? Amor. Genitor quis ? Blandus ocelli
 2 ardor. Quo natus tempore ? Vere novo.
 3 Quis locus exceptit ? Generosi pectoris aula.
 4 Quae nutrix ? Primo flore juvena decens.
 5 Quo nutrit victi ? Illecebris, vultuque venusto.
 6 Qui comites ? Levitas, otia, luxus, opes.
 7 Cur puero belli semper furiosa cupido ?
 8 Impellunt avidae spes, trepidique metus.
 9 Non metuit mortem ? Non. Quare ? Saepe renasci,
 10 saepe mori decies hunc brevis hora videt.

CHRYSALUS.

E2_64 v.1 Dives opum, pauperque animi, plus possidet auri
 2 Chrysalus, in fulva quam vehit Hermus aqua.
 3 Possidet inclusum sed caeci carceris umbris,
 4 nec procul infernis, ut reor, a tenebris.
 5 Et decies una, vel saepius, inspicit hora,
 6 et numerans miseras usque fatigat opes.
 7 Nec satis hoc : centum ferratis limina portis
 8 addita, centenis ferrea claustra seris.
 9 Custodesque canes, atque horridus aere satelles
 10 excubat ad clausas pervigilatque fores.
 11 Non miser uxori, non audet credere natis :
 12 frigida non pictis quos habet ara deis.
 13 Formidat, si vermibus humo, mus exeat antro,
 14 si luteum Progne sub trabe figat opus,
 15 si trabibus laxum suspendit aranea cassem,
 16 esse putat nummis retia tensa suis.
 17 Si sol rimosas penetret vel luna fenestras,
 18 et tenuem fudit lux inopina diem,
 19 oblitit extemplo rimas, ne scilicet auro
 20 inficiat radios ille vel illa suos.
 21 Nec minus obscuras formidat luce tenebras,
 22 et latebras promptas ad scelus omne duces.
 23 Ipse suam, veluti furem, luctatur in umbram :
 24 gypsatas metuunt credula corda manus.
 25 Huc labor, huc miseri spectat vesania voti,
 26 et trepidi semper corde micante metus.
 27 Post inopis curas et inania taedia vitae,
 28 dives ut ad Stygias isse feratur aquas ;
 29 atque opibus mortem ceu placaturus avaram,
 30 semper inops vivit, ne moriatur inops.

JOANNES STURMIUS.

E2_65 v.1 Ora vides Sturmii, sed et haec Germania sumit,
 2 haec pietas, Latio cum lubet ore loqui :
 3 haec Hermes, alio citius nec se putat ore
 4 flectere posse homines, flectere posse deos.

IDEM.

E2_66 v.1 Ora haec sunt Sturmi : picturae verba darentur
 2 si sua, de Phoebi pectore missa putes.
 3 Nec falso : expulsus jamdudum Phocidos antro
 4 in Sturmi sedem pectore Phoebus habet.

IDEM.

E2_67 v.1 Nil refert, Sturmi haec, an Phoebi dixeris ora :
 2 hoc Phoebus solet, hoc Sturmius ore loqui.

EPIGRAMMATUM LIBER III.

STRENAE.

AD REGEM SCOTIAE HENRICUM.

E3_1 v.1 Turba frequens Jani fundit pia vota Kalendis,
 2 ut novus exacto faustior annus eat.
 3 Hic, ager ut multo sementem fenore reddat,
 4 postulat, hic pecori prospicit, ille gregi.
 5 Bellum miles avet, requiem mercator ab armis,
 6 divitias alter poscit, et alter opes.
 7 Sunt quibus in voto est ventosi gloria vulgi ;
 8 sunt quibus et damnis est caruisse satis.
 9 Ast ego, ne lassem tibi vanis aethera votis,
 10 optime rex, opto, sit tibi certa salus.
 11 Hoc satis est unum : quoniam te sospite nobis,
 12 succedent regno prospera cuncta tuo.

AD MARIAM REGINAM SCOTIAE.

E3_2 v.1 Ut mihi magna tuae fortunae munera reddas,
 2 accipe fortunae munera parva meae.

AD EANDEM.

E3_3 v.1 Invida ne veterem tollant oblivia morem,
 2 haec tibi pro xenio carmina pauca damus.
 3 Sunt mala ; sed si vis, poterunt divina videri :
 4 nam nunc quod magno venditur aere, bonum est.

AD DISCIPULOS.

E3_4 v.1 Mos vetus est Jani dare mutua dona Kalendis,
 2 annus ut auspicio prosperiore fluat.
 3 Et mihi quae possim dare tantum verba supersunt ;
 4 sed nostrum nemo vult sibi verba dari.
 5 Nil dare non fas est, vanum est dare verba. Quid ergo
 6 restat ? Verba dari qui sibi nolit, emat.

AD EPISCOPUM INDOCTUM.

E3_5 v.1 Carmina portanti, praesul, tua janua clausa est :
 2 munera portanti janua tota patet.
 3 Praesulis ergo tenes perfecti munera solus :
 4 quippe animo cujus munera sola placent.

AD MARIAM SCOTIAE REGINAM.

E3_6 v.1 Do quod adest. Opto quod abest tibi : dona darentur
 2 aurea, fors animo si foret aequa meo.
 3 Hoc leve si credis, paribus me ulciscere donis ;
 4 et quod abest, opta tu mihi ; da quod adest.

AD JACOBUM STUARTUM MORAVIAE COMITEM.

E3_7 v.1 Sera, Jacobe, quidem sunt parvaeque munera nostra.
 2 Hac in re vitium si quod inesse putas,
 3 nec sectare meam, sed contra corrige culpam,
 4 et cito sed larga munera redde manu.

LOQUITUR ADAMAS IN CORDIS EFFIGIEM SCULPTUS,
 QUEM MARIAE ELIZABETHAE ANGLAE MISIT.

E3_8 v.1 Quod te jampridem fruitur, videt, ac amat absens,
 2 haec pignus cordis gemma, et imago mei est.
 3 Non est candidior, non est haec purior illo,
 4 quamvis dura magis, non mage firma tamen.

AD JACOBUM MORAVIAE COMITEM.

E3_9 v.1 Quod tibi parva damus, multi te ducere parvi,
 2 atque ea non hilari sumere fronte putant.
 3 Falle malas linguas, maledicta, Jacobe, refuta ;
 4 magnaue munifica dona repende manu.

AD ELIZABETHAM ANGLIAE REGINAM KAL JAN ANNO MDLXVIII.
BUCHANANUS JANUM ALLOQUITUR.

BUC.

E3_10 v.1 Jane pater, solus partes qui versus in omnes
2 quicquid habet tellus ante retroque vides ;
3 prospice quae possim non dedignanda Kalendis
4 Saxonidum dominae mittere dona tuis.

JAN.

5 Me, puto, scis inopem, de Dis non ditibus unum,
6 et veteri tantum simplicitate rudem.
7 Posce deos alios : dat opes Saturnia, formam
8 pulchra Venus, cultum flava Minerva animi.

BUC.

9 At Dea nil istis eget haec, cui dona parantur,
10 Juno opibus, studiis Pallas, et ore Venus.

JAN.

11 Posce tuas Musas : sunt et sua dona Camenis,
12 parva licet, magnis non male grata Deis.

BUC.

13 Quae dent Pierides tenues modo verba supersunt ;
14 nemo, reor, sanus vult sibi verba dari.

JAN.

15 Pacem adeas igitur, nam Pax, ditissima divum,
16 commoda quae cupiunt Croesus et Irus, habet.

BUC.

17 Haec quoque Saxonidae jam Pax dedit Heroinae,
18 atque omne in regno jus dat habere suo.

JAN.

19 At tibi res quamvis desit, puto, vota supersunt :
20 his opibus diti par potes esse Midae.

BUC.

21 Dicis opes inopes ; sed et hinc vix munera spero,
22 cum videam votis vix superesse locum
23 ecquid enim huic optem, cui fors virtusque benigne
24 et natura suas accumularit opes ?

JAN.

25 Cuncta licet superent, superest quod ditibus optes,
26 perpetuus vitae perstet ut iste tenor.

BUC.

27 Hac sequar : a votis, quibus unis esse benigno
28 sors mihi dat, xeniumque auspiciamque petam.

29 Si tibi qui nunc est animus, Regina, perennis,
30 ceteraque haud animo deteriora tuo.

31 Annuit, et Janus mihi vultu arrisit utroque,
32 et mea dicta ratam jussit habere fidem.

AD JOANNAM HAVARTAM.

E3_11 v.1 Si nisi pro genere et meritis, Havarta, dabuntur
2 menera, rarus erit qui tibi dona feret.
3 At si menre Dei pura sine munere laeti
4 placentur, falsa vel sine ture mola :
5 proxima Dis, etiam cur non te, virgo, reamur

6 posse animi pura simplicitate capi ?
 7 Haec ego spe fretus, quamvis exilia dona,
 8 ingenii fetus carmina mitto mei.
 9 Quod si rusticulum non dedignabere vatem,
 10 prompta erit obsequio nostra Thalia tuo.

AD MILDREDAM GULIELMI CAECILII UXOREM,
 MATRONAM VIRTUTE ET ERUDITIONE PRAESTANTEM.

E3_12 v.1 Munera quae tibi do Jani, Mildreda, Kalendis,
 2 ditia si non sint, commoda forsitan erunt.
 3 Non Arabum messes, gemmasve Oriente petitas,
 4 sed tibi do, noster qualia reddit ager.
 5 Quae neque latrones possint, neque tollere fures
 6 clam, nec, si cupias, perdere, perdideris.
 7 Non tibi si donet quidquid Tagus egerit auri,
 8 muneribus nostris uberiora dabit.
 9 Quod si magna putes, nullo sumptu atque labore
 10 maxima de simili reddere messe potes.
 11 Parva licet credas, sunt et sua commoda parvis ;
 12 parva quod exspectet qui tibi parva dedit.
 13 Denique qualia sint, bona, parva, exilia, magna,
 14 ipsa jube, arbitrii res erit ista tui.
 15 Nec mihi, si cupias non aequa rependere, fas est ;
 16 reddere nec melius deteriusve potes.
 17 Nulla tamen magici latet hic insania cantus,
 18 nec mala fraus : animo sint procul ista meo.
 19 Scire cupis quo tanta cadant promissa ? Libenter
 20 quodcumque optatis tu mihi, id opto tibi.

AD EANDEM.

E3_13 v.1 Quod, Mildreda, mihi carmen pretiosius auro
 2 miseris, ingenio gratulor usque tuo.
 3 Atque etiam grates agerem quod miseris aurum,
 4 id nisi dixisses desipientis opes.
 5 Si tamen hunc morbum tibi senseris esse molestum,
 6 nemo tibi medicus credo negabit opem.
 7 At si quem scabies, rabiesve potica vexet,
 8 sanari epota vix queat Anticyra.
 9 Quid, quod et hanc rabies gravius symptoma sequatur,
 10 addita pauperies vatibus usque comes ?
 11 Quod nisi vitaris pestis contagia, donis
 12 carmina si certes vincere nostra tuis,
 13 prospice ne morbum mutes, et garrula egestas
 14 sit tibi, dum fatuas das mihi divitias.

AD EANDEM.

E3_14 v.1 Ni, Mildreda, tui viri, patrisque
 2 moverer reverentia, haud abiret
 3 impune hoc facinus, meas Camenas
 4 quod corrumpere nixa sis, et auro
 5 castas prostituas prius puellas,
 6 contentas nemorum antea virentum
 7 umbris, frigore fontium sacrorum,
 8 rivi et murmure leniter strepentis ;

9 at nunc barbarico superbientes
 10 luxu, et divitiis suis, priorem
 11 vix norunt comitem, morasque nectunt,
 12 et me segnius audiunt vocantem.
 13 At tu, si sapias, dehinc cavebis
 14 ista me ratione provocare.
 15 Quod ni feceris, hanc benignitatem
 16 paenitentia protinus sequetur.
 17 Sic te carminibus moleste habebō,
 18 sic canam tibi, et obstrepam usque et usque,
 19 donec percipias, nec absque damno,
 20 quanto carmina laetius refundat
 21 nostra haec aera, quam tua arca nummos.
 22 Exemplumque dabo tibi tuisque,
 23 ne nimis facili benignitate
 24 quis certare meae loquacitati
 25 vicino monitus velit periculo.

AD EANDEM.

E3_15 v.1 Vulgus me vocat, et putat poetam.
 2 Aula non putat, et vocat poetam.
 3 Nam si crederet esse me poetam,
 4 avarum, puto, non putaret esse.
 5 Aut si crederet esse non avarum,
 6 non pro carminibus malis, ineptis,
 7 incomptis, mihi reddidisset aurum.
 8 Qui causae rear esse cur rependat
 9 probo rusticulum aula carmen auro ;
 10 aula tam sapiens, et erudita,
 11 nec naris, neque iudicanda egea ?
 12 At at, iam videor tenere causam,
 13 quae pro carmine dat malo bonum aurum,
 14 non dat carminis aestimationem ;
 15 nec suum studium indicat legendi,
 16 sed fastidia vitat audiendi,
 17 nec me scribere, sed monet silere.
 18 Et recte monet illa, si poetis
 19 loquendi modus esset, et silendi.

AD AGNETEM CAECILII FILIAM.

E3_16 v.1 Quod tibi vis tacito voto, quod mater aperto,
 2 hoc tibi fors cito det, filia Caecilii.

AD ANTONIUM CUCUM EQUITEM ANGLUM, ET FILIAS DOCTISSIMAS.

E3_17 v.1 Cucides, Antoni soboles generosa parentis,
 2 et sobolis doctae doctior ipse parens,
 3 non ego Pieridas, vobis in vota benignis,
 4 nec precibus Clarium sollicitabo deum.
 5 Cucides Aonidae mihi erunt, pater alter Apollo,
 6 ingenio vires sufficietque meo.
 7 Inde mihi surget xeniorum maxima merces,
 8 largaque de vestra munera fruge dabo.

9 Ludere me forsā perstricta fronte putetis :
 10 quod fieri alterius merce benignus amem.
 11 Non ita ; nam cum det Deus omnibus omnia, laetus
 12 accipit e donis munera parva suis.
 13 Vos quoque germanae diis tot virtutibus aequae,
 14 et studiis docti docta propago patris,
 15 este Dei similes, nec munere pendite mentem :
 16 muneribus pretium mens generosa facit.

AD JACOBUM MORAVIAE COMITEM.

E3_18 v.1 Si magis est, ut Christus ait, donare beatum,
 2 quam de munifica dona referre manu,
 3 aspice quam faveam tibi : sis ut dando beatus,
 4 non renuo fieri, te tribuente, miser.

AD MATTHAEUM LEVINIAE COMITEM, SCTIAE PROREGEM.

E3_19 v.1 Cum mihi quod donem nil sit, tibi resque supersit ;
 2 accipe, cui dones officiosus opes.
 3 Non ego sum nimius voti : ex tanto aeris acervo
 4 sufficient animo millia pauca meo.
 5 Denique da quidvis, podagram modo deprecor unam :
 6 munus erit medicis aptius illa suis.

POMPAE.

I APOLLO ET MUSAE EXULES.

E3_20 v.1 Sedibus extorres bello, ad te fugimus, una
 2 Musarum caste quae pia sacra colis.
 3 Non querimur : magna exilium mercede levatur,
 4 si fruimur vultu nocte dieque tuo.
 5 Est mihi carmen Hymen, lusus, convivia, cantus,
 6 materia aetati non aliena tuae.
 7 Sit procul a tragico semper tua vita cothurno,
 8 et mihi fas hostes sit celebrare tuos.
 9 Digna, Dea, tibi sunt facies, virtusque genusque :
 10 concinet ergo inter te lyra nostra deos.
 11 Sufficis aeternum mihi sola in carmina : nulla est
 12 sanguinis heroi tam numerosa domus.
 13 Ni dea nata fores, mihi tanta potentia fandi est,
 14 protinus ut faceret te mea lingua deam.
 15 Cura mihi historia est, ut per me mortua vivant,
 16 stent sua virtuti praemia, poena malis.
 17 Cetera consequerem numeris facile omnia, tantum
 18 virtutes possem si numerare tuas.
 19 Digna coli caelo, terras cole ; sidera nosse

20 si juvet, hic duce me, sidera nosse potes.
 21 Metior hoc radio terras, mare, sidera : monstro
 22 quam parvo humanus ludat in orbe labor.

II POMPA DEORUM IN NUPTIIS MARIAE.

1 DIANA.

E3_21 v.1 Quinque mihi fuerant Mariae, pater alme, ministrae,
 2 et decus, et nostri gloria prima chori.
 3 Hoc numero comitum caelo caput alta ferebat ;
 4 sumque aliis nimium visa beata deis.
 5 Nam Venus et Juno successibus invida nostris,
 6 unum de numero surripuere meo :
 7 et nunc orba cohors numero sibi displicet, uno
 8 Pleiadum languet ceu minor igne chorus.
 9 Audeat hoc deinceps exuta licentia frenos :
 10 objiciat saevis incommitata feris.

2 JUNO.

11 Sit tibi venatus, mihi sint connubia curae :
 12 contenta officio sit dea quaeque suo.

3 VENUS.

13 Cesset amor, pariter cessabunt foedera rerum :
 14 in chaos antiquum cuncta elementa ruent.

4 CERES.

15 Si parili cunctae fugiant connubia voto,
 16 rara tui fiet, Delia, turba chori.

5 PALLAS.

17 Si pariter fugiant omnes connubia nymphae,
 18 nullus erit posthac virginitatis honos.

6 SATURNUS.

19 Si tibi fas fuerit taedis arcere puellas,
 20 cur mihi fas non sit praesecuisse mares ?

7 MARS.

21 Unde mihi miles, si totum transigat aevum
 22 femineum in sterili virginitate genus ?

8 MERCURIUS.

23 Frustra et ego doceam eloquium, liquidamque palaestram,

24 et celerem Eoa merce onerare ratem.

9 APOLLO.

25 Selia parce metu, meaque haec simul accipe dicta,
 26 quae tibi veridico praescius ore cano.
 27 Juno vocat, Mariasque tuas jubet esse maritas,
 28 castaque legitimi jura subire tori.
 29 Multiplicesque tibi Marios Mariasque rependent,
 30 accrescetque tuis longio ordo choris.
 31 Semper prima novae sobolis tibi serviet aetas :
 32 proxima Junoni ; cetera fata vetant.

10 JUPITER.

33 Quinque tibi Mariae fuerant, sed quinque dearum
 34 instar erant forma, moribus, ingenio.
 35 Quinque deum dignae thalamis, si jungere taedas
 36 mortali superos ferrea fata sinant.
 37 At nunc florentis cum pars jucundior aevi
 38 tota sit in castris paene peracta tuis,
 39 altera militia est, atque altera castra sequenda ;
 40 jamque viris aetas serviat apta viro.
 41 Sic vicibus variis rerum immutabilis ordo
 42 permanet, et constat mutuus orbis amor.

11 TALTHIBIUS.

43 Alter Hymen laetis jam vocibus aethera pulset,
 44 qit Maria ut taedis altera juncta novis.
 45 Connubio quantum sociat Venus aurea, tantum
 46 detrahitur numero, casta Diana, tuo.
 47 Unaque jam superest Mariis de quinque Dianae :
 48 haec quoque jam socios respicit una toros.
 49 At vos quas comites dignata est candida nuper
 50 Delia virgineis associare choris,
 51 sic Veneri laetae laetam exercere juventam,
 52 augeat ut choras casta Diana suas,
 53 proque una Marias multas donate Dianae,
 54 ut Veneri sponsas feneret illa novas.
 55 Ut chorus alterius florescat uterque, vicissim
 56 sentiat alterius semper ut alter opem.
 57 Sic mutant elementa vices contraria, sese
 58 assidue perimunt, et perimendo novant.

III POMPAE EQUESTRES.

1 TURMA AETHIOPUM.

E3_22 v.1 Fama tuae virtutis ad haec nos littora traxit,
 2 unde venit calidi mollior aura Noti.

3 Fama tui reges tanto super altior omnes,
 4 quam tuus a nostro dissidet ore color.
 5 Ergo ubicumque lubet devotis utere dextris,
 6 sive magis ratibus, sive placebit equis.
 7 Experiare fidem bello vel pace licebit,
 8 serviet imperio vitaque morsque tuo.

2 TURMA SEPTENTRIONALIIUM EQUITUM.

9 Nec minus Arctoas sparsa est tua fama per oras,
 10 nec minus Eoas, occiduasque domos,
 11 quam per inaccessas Libyae squalentis arenas,
 12 nec minus hoc caelo pectora tangit honos.
 13 Sunt animi, sunt dextrae animis servire paratae,
 14 et mens imperium prompta subire tuum.
 15 Si fortuna animis fuerit, si viribus aequa,
 16 officiiis in te non prior ullus erit.

3 A NEPTUNO MISSA TURMA.

17 Nympha inter pulchras pulcherrima Neptuninas,
 18 nympha Caledoniae gloria magna tuae ;
 19 sola opibus digna Oceani, cum murice gemmis,
 20 quaeque arbor tacta est Gorgone facta lapis ;
 21 nos tibi caeruleis Triton submisit ab undis,
 22 jussit et haed domini nomine ferre sui.
 23 Utere Neptuno, seu viribus est opus undae,
 24 sive ratis, celeris sive erit usus equi.
 25 Si minus hi placeant, sic cogita, in aequore natos
 26 assuetos solido non satis esse solo.

4 EQUITES VERSICOLORS.

27 Haec acies equitum sub versicoloribus armis,
 28 fortunae faciem fulget amicta suae.
 29 Tu modo si faveas, etiam fortuna favebit :
 30 virtuti comes scilicet illa tuae.

5 EQUITES QUI IN GALEIS FERREBANT PALLADEM ADVERSUS EOS QUI CUPIDINEM FEREBANT.

31 Ure, sed imbelles, puer, ignibus ure puellas :
 32 bellica belligerae tela relinque deae.

6 ALIUS.

33 Pallas adest, hasta metuenda et Gorgone saeva :
 34 qui locus hic jaculis, parve Cupido, tuis ?

7 ALIUS.

35 Caecus Amor, sapiens Palles : temerarius illi
 36 impetus, huic ratio tela manumque regit.
 37 Exitus in dubio non est, si casus inermis
 38 conferat armata cum ratione manum.

**IV POMPAE DEORUM RUSTICORUM
DONA FERENTIUM JACOBO VI ET MARIAE MATRI EJUS, SCOTORUM REGIBUS,
IN COENA QUAE REGIS BAPTIMA EST CONSECUA.**

1 SATYRI REGI.

E3_23 v.1 Silvestres tibi Satyri dona
2 damus agrestia, ruris alumni
3 volucres laeti ruris alumnos ;
4 et praevertere solitos ventos
5 male confisos pedibus cervos.
6 At cum veniet robur ab annis,
7 capies acribus ipse molossis
8 capreas, claudes retibus apros,
9 disces strepitu saepe quod urbis
10 jure anteferat rura voluptas.

2 NEREIDES REGINAE MATRI.

E3_24 v.1 Vis dura ferri marmoris
2 Magnesii contagio
3 imbuta vertit algidam
4 ad Arcton acrem cuspidem.
5 Cuicumque virtus imbuit
6 potenti vi praecordia,
7 te spectat unam, cardini
8 cuicumque caeli subjacet.
9 Arcana vis haec Indico
10 nos traxit huc a littore,
11 ut non trahat potentius
12 ferrum silex Heraclia :
13 virtutis ut propius tuae
14 claro fruamur lumine,
15 et patriis munusculis
16 testemur observantiam.

3 NAIADES REGI.

E3_25 v.1 Non sic luciferi viator ortu
2 gaudet, navita non serenitate ;
3 felix, pusio, nuntius tui ortus
4 nostra ut pectora maesta recreavit.
5 Quare munera Naiades pusilla
6 haec damus tibi ; nec tamen pusilla
7 si non munere pectus aestimetur,
8 verum e pectore munus aestimetur.

4 FAUNI REGINAE.

E3_26 v.1 Virtute, ingenio, regina, et munere formae

2 felicibus felicior majoribus,
 3 conjugii fructu sed felicissima, cujus
 4 legati honorant exteri cunabula ;
 5 rustica quem donis reverentur numina, silvis
 6 Satyri relictis, Naiadesque fontibus.
 7 Faunos in melius properantis pignora saeculi
 8 responsa ferre caelitem Rex haec jubet :
 9 "Omnis in hunc rerum consensit machina Regem,
 10 non forte lectum aut lege, sed fato datum.
 11 Non aliter quam natura novere magistra,
 12 monstrante nullo, apiculae suum ducem."

5 OREADES REGI.

E3_27 v.1 Montana dona montium colentes
 2 secreta Oreades nunc damus tenellos
 3 catulos ferarum : firmiter vigebit
 4 cum corpus annis, acribus molossis
 5 sequeris ipse capreas fugaces,
 6 aprosque claudes nexibus plagarum ;
 7 ni forte malis avios per artus
 8 nemorum, relictis capreis, Napaeas
 9 captare capreis non minus fugaces,
 10 sed capreis capi minus paventes :
 11 cupiesque silvarum horridos recessus
 12 praeferre forsitan oppidis superbis.

VALENTINIANA.

1

E3_28 v.1 Festa Valentino rediit lux : frigora languent,
 2 et liquat horrentes mitior aura nives.
 3 Jam propior propiorque novo se lumine vestit
 4 Phoebus, et aurato purior axe micat.
 5 Findere jam tenero meditatur cuspide terram,
 6 gramen et in viridea luxuriare comas.
 7 Cortice laxato gemmas jam parturit arbor :
 8 mitis init regnum jam Cytherea suum.
 9 Pabula persultant laetae pecudesque feraeque,
 10 quisque sibi sociam jam legit ales avem.
 11 Inde sibi dominam per fortes quaerere in annum
 12 mansit ab antiquis mos repetitus avis.
 13 Quisque legit dominam quam casto observet amore,
 14 quam nitidis sertis obsequioque colat ;
 15 mittere cui possit blandi munuscula veris,
 16 pallentes violas, purpureamve rosam ;
 17 quaeque suis vicibus nascentia sufficit annus
 18 munera, temporibus non aliena suis.
 19 Nos quibus et jam flos melioris decidit aevi,
 20 nec niteant horti, nec renovetur ager ;

21 serta tamen dominae nostro ex Helicone petamus,
 22 frigoribus nullam depositura comam,
 23 et Veneri castae castum libemus honorem,
 24 et veteres repetat sobria Musa jocos.

2 AD MARIAM FLAMINIAM FORTE REGINAM.

25 Regia, Flaminia, jamdudum sceptrum teneres,
 26 si genus aut vertus regia sceptrum daret.
 27 Si det sceptrum decus, dominaeque potentia formae,
 28 non decor aut forma est dignior ulla tua.
 29 Si studiis hominumque favent bona numina votis,
 30 jam tibi regna hominum vota precesque dabant.
 31 Si dea non stabilis rerum moderatur habenas,
 32 surda aures, caeco lumine, mentis inops,
 33 hic neque surda fuit, nec caeca, aut mentis egena,
 34 cum tribuit dextrae sceptrum tenenda tuae ;
 35 at si caeca fuit, si surda, aut mentis egena,
 36 virtutem caecae credo fuisse ducem.

3 AD EANDEM.

37 Cuncta tuo, cum colla iugo det sponte juvenus,
 38 o post sceptrigeram forma secunda deam,
 39 esse tamen caecam sortem ne crede, quod aevo
 40 me tibi mancipium deteriore dedit.
 41 Commendet juvenes aut forma, aut gratior aetas :
 42 at solet in senibus certior esse fides.
 43 Ut sua dant animos illis bona cognita, sic me
 44 sors tenuis dominam demeruisse jubet.
 45 Ergo mei quanto minor est fiducia, tanto
 46 major erit certam cura probare fidem.

4 AD EANDEM.

47 Accipe quos fetus tibi fertilis educat annus,
 48 Flaminia, o aevi flosque decusque tui :
 49 non capiti ornatum ; neque enim splendescere pulcher
 50 externi cultus munere vultus eget :
 51 sed magis ut noscas, ubi ver adspexeris anni,
 52 quam cedant veri tempora verna tuo.

5 AD EANDEM.

E3_29 v.1 Floret ager, florent horti, de floribus arbor
 2 induit : honori cuncta serviunt tuo.
 3 Sed tamen alterno lapsu natura recurrens
 4 variare poterat temporum credi vices,
 5 ni nostri ingenii, quod jam defloruit, aevum
 6 sterili in senecta parturiret carmina ;
 7 carmina naturae non edita sponte, sed aurae
 8 tui favoris spiritum debentia.

6 AD MARIAM BETONAM PRIDIE REGALIUM REGINAM FORTE DUCTAM.

E3_30 v.1 Regno animus tibi dignus erat, tibi regia virtus,
 2 et poterant formam sceptrum decere tuam.

3 Fortuna erubuit sua munera sola deesse :
 4 quae tibi nunc plena dat cumulata manu.
 5 Cumque tibi immunem dederit livoris honorem,
 6 non satis est tardam visa luisse moram ;
 7 ni regina, orbis longe dignissima sceptro,
 8 gauderet regno laeta subesse tuo.

7 AD EANDEM.

9 An querar ? An potius fortunae munera laudem,
 10 quae me Betonae mancipat imperio ?
 11 Quo mihi forma decens hoc tempore ? Cum mihi nulla
 12 spes superest, quod si mutua cura mei.
 13 Si fortuna mihi melior, melioribus annis
 14 in me munifica sic foret usa manu :
 15 in cinerem subito cecidissem versus, eratque,
 16 quod mihi vita brevis, poena futura levis.
 17 Nunc face fors lenta torret, nec dat mihi vitae
 18 gaudia, nec subitam dat mihi mortis opem.
 19 Sed seu vita manet, vel mors, hoc gratulor unum,
 20 sub dominae arbitrio est vitaeque morsque mea.

8 AD EANDEM.

21 Quae melior meritis mea fors, Bretona, dedit te,
 22 haec cito sed meritis det precor aequa tuis.

9 AD EANDEM.

23 Horret hiems, nec prata nitent, neque floribus horti,
 24 unde queam dominae sarta parare meae.
 25 Quique fuit cultu Musarum fertilis hortus
 26 ingenii, aetatis frigore stringit hiems.
 27 Si tamen adspiret Zephyrus Betonidos aerae,
 28 hic etiam in vernas luxuriabit opes.